


05
A
785



19

DISPUTATIONUM METAPHYSICARUM
SEPTIMA
DE
PRINCIPIO & PRINCIPIATO

*QUÆ
DIVINA ASPIRANTE GRATIA*

*PRÆSIDE
V I R O
CLARISSIMO ATQUE PEREXIMO*

Dn. M. CHRISTIANO BILEFELD

Lubec: Amplissimæ Facultatis Philosophicæ Adjuncto
meritissimo, Fautore ac Promotore suo æternum
Venerando,

Publicè ventilanda proponitur

à

CHRISTIANO NIFANIO, DITHMARSO

AUTHORE

In Auditorio Minori

Ad d. Februar. Horis ab 8. Matutinis. 1. pomerid.

WITTEBERGÆ
Typis JOHANNIS HAKEN, ANNO MDC LII.

20

DEO
OPT. MAX.

JEHOVÆ
ELOHIM

ET
UTRQ.

Plurimum Reverendo ac Clarissimo,

Dn. M. JOHANNI NIFANIO

Canonico Slesvicensium meritissimo, Mar-
nensium apud Dithmarscos Austrinos Pa-
stori Vigilantissimo,


Parenti suo filialis observantiæ cultu æternū
venerando,

Huncce primum ingenii sui foetum
pia ac grata mente consecrat,

CHRISTIANUS NIFANIUS,
Autor.



1.05. A 785



DEO DUCE!

THESIS I.

Principium & principiatum non tantum Metaphysicæ est considerationis; Sed & disjunctam entis affectionem constituit.

§. I.



B hac controversia meritō nostrarum thesium initium facimus. Frustra enim laboraremus de assignanda entis attributi alicujus definitione devisioneve, nisi jam certi essemus antē ad quamnam disciplinam, & ad quodnam attributorum genus attributum illud esset referendum. Duo autem in data thesi, ut rem ordine proponamus, habentur: Primum est, *cujusnam disciplinæ sit agere de principio & principato*: Alterum est, *an principium & principiatum distinctam entis affectionem disjunctam constituat*. Quà prius, distinctè hic dicendum 1. *doctrina hæc*, prout eam jam consideramus, *non est Logica*. Hæc enim notionalis est disciplina. Argumentatur quidem Logicus interdum à causis, & sic ruditer quasi cognoscit causas & principia: verum minimè explicat quid sit principium, quid sit causa & quotuplex. Et licet hoc ipsum à Ramistis & Mistis fiat; tamen videndum non quid fiat, sed an rectè fiat. 2. *Doctrina hæc non est Physica*. Hæc enim est specialis disciplina. Unde etiam agit de principiis, sed limitatis, sub momento secundo, & in actu exercito consideratis, quatenus scilicet sunt principia corporis naturalis. Sed 3. *Doctrina hæc est Metaphysica*. Hæc enim est disciplinarealis & universalis. Hinc & in universali, vel sub momento primo & in actu signato.

signato de principiis agit. Non quidem de principiis entis, quia ens ut sic consideratum, principia non agnoscit. Impossibile enim esset generalissimæ disciplinæ objectum habere principia, cum ita ens compositum esset è certis principiis tanquam partibus essentialibus vid. Pl. Rev. Dn. D. Scharf. Theor. Trasc. disp. X. in proæ. Sed de iis principiis, quæ ens insegnuntur immedatè idq; distinctim denominant.

§. 2. Quà posterius, an doctrina de principio & principiato inter affectiones entis disjunctas sit collocanda, ambiguum est apud quosdam Auctores. Omittendam esse authoritas veterum & recentiorum pariter Metaphysicorum complurium docere posset, si res authoritatis momentis transfigi deberet. Ponendam tamen eam inter affectiones disjunctas, & ratio docet, & authoritas quorundam, accuratius in Metaphysicam inquirentium, suadet. Ratio ex affectionum disjunctarum descriptione, quæ principio & principiato ex æquo competit, desumi potest. Siquidem quodcunq; sub disjunctione de ente prædicatur, & sub complexu utriusq; membra cum eo reciprocatur, illud est affectio disjuncta. At principium & principiatum ita se habet. E. Major patet ex disp. præc. θ. 2. Minorem verò facile & prolixè per singula membra probare possemus, nisi & methodi ratio & pagellarum brevitas observanda esset. Etenim rectissimè dico, quicquid est, vel est principium vel principiatum, ita ut nec ullum dari possit ens positivum & reale, quod non cadat sub alterutrum horum terminorum membrum: Id quod insimul authoritas Excell. Virorum videlicet Dn. D. Scharfi Dn. D. Galovi, Scheibleri, Eifleri aliorumq; monet.

THESIS II.

Principium est nnde aliquid procedit pucunq; modo.

§. 1. In hac descriptione principii duo præprimis spectanda veniunt. *Definitum* & *definitio seu potius descriptio ipsa*. *Definitum* quod attinet, notanda ejus tum *homonymia*, tum *Etymologia*, tum *Synonymia*. *Homonymia* vocis principii apud Autores multiplex est. Sumi enim solet I. *abusiva* è pro causa vid

vid. §. 2. 2. *negativè*, prout negat præcedentiam alterius,
& duntaxat respicit antecedens, non consequens. Ita primus
filius ille, vel etiam principium reliquorum esse dicitur, *r.*,
ante quem non est natus alias. Et sic idem notat quod initium
rei. 3. *populariter* pro eo quod est primum ratione dignitatis:
Sic principium Senatus Academici dicitur Rector, oppidani
Consul. 4. *eminenter*, vel pro principio omnium primo, Deo
ter opt. max. quo referre solent illud Aristotelis lib. 5. de Gen.
anim. quando ait: *Hoc est principium esse, ut ipsum quidem can-*
sa sit multorum, sed ipsius nulla sit superior causa: vel pro princi-
pio cognoscendi, ex quo conclusiones Theologicae deducun-
tur, quale illud: Dominus dixit. 5. *respectivè & transcendentaliter*,
pro ut simul negat antecedens, & respicit consequens principie-
atum. Sic hoc loco sumitur. Plures hujus vocis acceptiones
videantur apud Versorem in lib. 5. Met. Armand. de Bello visu
tract. 2. cap. 238.

§. 2. *Etymologia* vocis principii *Logica* nulla est. Est enim
vox ultimata abstracta quæ derivationem Logicam non a-
gnoscit. De Grammatica apud Lexicographos ingens est pugna.
Quidam enim vocem principii pro primitivo, alii pro deri-
vativo habent. Ast illam litem dirimendam illis relinqui-
mus. Tutius tamen illi statuere videntur, qui principium à
primum & capio derivant. *Synonymia* vocis principii est, qua
Hebreis dicitur *רִשְׁתָּה* à rad. *רַא* caput, fastigium.
Gracius δέχην, quam vocem quidam ab, "ἀρχομαι deducunt,
alii contrarium statuunt. Germanis der anfang. Latinis com-
muniter initium, exordium, origo, fons. Nonnulli causam &
principium prosynonymis habent. Verum causam & princi-
pium non esse æqui pollutia, patet, quod principium sese la-
tius extendat, quam causa. Cum omnis causa sit principium,
sed non contra omne principium causa. Sic dico aurora est
principium diei, at non causa. Privatio juxta Aristotelem
principium generationis, at non causa fatentibus ipsis Aristoteli-
ciscis. Et licet interdum causa & principium unum ac idem
sint

sint, si materialiter spectentur, quando scilicet eandem rem important: nihilominus tamen quando formaliter considerantur distinguuntur omniò, ut latius & strictius. Conf. Pracl. Dn. D.Christ. Matthiae exc. Met. disp. V. Dn. Sthal. tit. pbil. III. reg. XV.

§. 3. Descriptio ipsa resolvi potest in *materiale* & *formale*; *materiale* habet commune cum omnibus aliis affectionibus unitis juxta & disjunctis. Illud autem est ipsum ens reale ac positivum. Nam omnes entis passiones entitatem necessariò involvunt. Alias nihil essent, & consequenter ens denominare non possent. *Formale* verò, quod præprimis attendendum, hic est diversum. Hoc autem ut eo melius ac distinctius patescat, explicandæ sunt singulæ voces, quibus circum scribitur natura principii. Dicitur enim 1. *unde*. Quæ vox hæc loco notat quemcunq; respectum unius ad alterum, secundum quem aliquid à nostro intellectu verè apprehenditur consequi ad alterum, sive fiat per verum influxum causalem, juxta quem omnis causa sui effectus principium usitatè dicitur, sive alio quocunq; modo contingat, modo sit aliqua connexio, vel consecutio unius ad alterum. Sic v. g. Deus est principium omnis creaturæ, artifex producti operis, materia & forma totius compositi, animarislibilitatis, & quævis essentia suarum operationum, quia hæc omnia ad illa habitudinem aliquam originis aliqualis involvunt. 2. *Aliquid*. Hic terminus non ita accipi debet, quasi illud, quod ab aliquo principio procedere dicitur, semper aliam h. e. novam & à principio diversam entitatem seu essentiam in ferat: sed generalissimè hæc alietas est accipienda, ut ad quævis, quæ ad aliud consequuntur, referri poscit. Quod etiam Excel. Dn. D.Calovius in Met. Div. docet. Vox hæc, ait, amplianda est, ne importet præcisè alietatem in essentia; cum nondifferat principium & principiatum necessariò essentialiter: sed quamcunq; alietatem, quæ sufficit ad rationem principii, si cetera adsint requisita. 3. *Procedit*. Terminus progressionis h. l. non accipitur specialiter prout vel generationi opponitur, quod discrimen alias Dd. Theologi ex S. literis ob servare-

servare solent in fidei mysteriis. Neq; strictè pro vera origine,
aut certo modo emanationis. Sed hoc termino Philosophi, cum
commodior vix occurrat, quamcunq; consecutionem unius
ad alterum insinuate solent. Id quod etiam monet B. Jac.
Mart. in exerc. Met. l. r. ex. 4. θ. 1. Verbum procedit, inquit,
non in stricta significatione; sed pro qua cunq; consecutione & con-
nexione accipiendum est. Ideo additur 4. particula illa quo cunq;
modo, ut scilicet omnis modus consecutionis indigitaretur.
vid. Suarez. diff. Met; 12. sect. I.

§- 4 Removenda jam nonnulla sunt, in quibus for-
male principii ab aliis consistere censetur, nec tamen verè
consistit. Aristoteles & qui eum secuti dicunt omnibus princi-
piis commune esse, esse primum unde aliquid aut est, aut fit
aut cognoscitur. Verum quid de hac descriptione sit senti-
endum, alibi dijudicatur. Alstedius comp. Met. sect. III.
Timplerus lib. 3. Met. c. 1. ejusdemq; Scholiares Goclenius prin-
cipium describunt, quod sit id unde principiatum dependet.
Ast hæc descriptio multis modis impingit. Nam 1. est inaccu-
rata; cum membra affectionis disjunctæ non simpliciter debe-
ant æstimari è relatione ad oppositum suum; sed examinanda
sint cum primis ex relatione ad subjectum, seu ipsum ens &
quomodo id afficiant attendendum. 2. est nulla; cum unum
membrum non minus obscurum sit, quam alterum: quod ta-
men contra leges bonæ descriptionis. Sic malè describitur
signum quod signatum repræsentat. Deniq; 3. est nimis an-
gusta; cum dependentia non reperiatur in omni genere prin-
cipiorum & principiatorum: sed solum in particulari, nempe
in causato, quod dependet à principio. Et quamvis prædicti
Authores Filium Dei dependere dicant, putamus tamen, si
ανείριστος velimus, terminum istum in divinis admodum
esse pericolosum, cum Filius Dei eandem numero essentiam à
Patre communicatam habeat per æternam generationem,
adeoq; independentis sit naturæ, æq; ut Pater. vid. Præcl. ac
plur. Rev. Dn. D. Dorschei Interv. pro myst. Trin. cap. II. p. 137.
ejusdemq; Anti-Corn. p. 86, seq. Unde licet quoad originem

Fili-

Filius sit à Patre: Ista tamen origo nullam infert dependen-
tiā vel effectiōnem; sed est longè eminentioris sortis nobis
inexplicabilis *Conf.* *Adm.*, *Rever.* *Dn.* *D. Calov.* *Met.* *div.* *p.*
mibi. 453. 460. *Dices*: Est tamen Filius Dei ab alio, à quo de-
pendet. *Resp.* Illud dependens est quod est ab alio effectivè, id
quod de Filio Dei negatur. *Vid.* *Suarez*; *tom.* 1. *Mer.* *disp.* 12.
scđt. 2. *n.* 5. 6. *seq.* Ad hæc primarium dependentiæ requisitum
est, ut id, quod dependet, habeat essentiam numero distinctā
ab alio à quo dependet. At Filius Dei eandem cum Patre
essentiam habet, prout illud demonstrant *D. Theologi.* *Conf.*
B. Jac. Martini Coll., *Antiphon.* *disp.* 1. 2. *Plur. Rev.* ac *Excel.*
Dn. D. Calov. *exam.*, *lib.* *Crell.* §. 110. *seq.* Instabis cum non nemi-
ne: quod & attributa entis ab ente, causalitas, finitudo, contin-
gentia, à causa, finito & contingente, facultates animæ ab ani-
ma ipsa dependeant, quæ tamen numero unum sunt. *Resp.*
quod sic terminus dependentiæ valde impropriè & abusivè su-
matur: at nobis sermo est de dependentia propriè sic dicta, qua-
tenus æquipollit creato ac finito. Neq; tamen hinc sequi-
tur divisionem entis in dependens esse vanam ac superfluam
cum in materiali convenire & se invicem declarare possint;
minimè tamen in formalis, ex eo quod distinctas adhuc quo
ad formale habeant conceptibilitates. Hypothesis autem illa
de identitate facultatum cum anima est simpliciter falsa:
cum facultates ille, quæ accidentia, ab anima, quæ substi-
tia, realiter differant. *Maccovius cap.* XIII. *Met.* *principium*
describit, unde res dependet quacunq; tandem ratione. Ve-
rum, ut diximus, malè dependentiæ vox in generali principii
descriptione adhibetur, cum non omni principio illa com-
petat. Est ergò angustior suo definito. *Quidam* *principium*
describunt quod sit id, unde est aliud: quæ si ritè ac rectè ex-
plicetur, non est rejicienda. *vid.* *Exs.* *Dn.* *D. Calov.* *Met.*
Div. c. 14. *Alij* dicunt principium de sese non inferre, nisi re-
spectum prioris & posterioris; & in hoc consistere formalem
rationem principiorum judicant. Sed minus accuratè. Cum da-
ri omnino aliquid posse, quod se habeat prius, ut tamen idèò
non

non habeat principium, seu illud prius non statim sit ejus principium. Nam præter prioritatem ad principii rationem requiritur quoq; processio, seu consecutio alterius, ut jam jam dicetur.

THESIS III.

Principii requisita sunt. I. Prioritas. II. Consecutio.

§. 1. Principium namq; quā tale debet necessariò prioritatem aliquam inferre, qualiscunq; tandem ea sit. Nam eo ipso quo aliquid est principium, prius est eo ipso, cuius est principium. Puta, quatenus accipiuntur non relativè; Sic enim nulla prioritas, sed potius simultas occurrit; quod omnia relata simul sint: verum absolutè penes ipsam entitatem principium & principiatum attendendo. Hinc multiplex datur prioritas. 1. Temporis vel Durationis, quæ tribuitur ei, quod tempore aliud antecedit: Sic pueritia tempore prior adolescentia, & adolescentia senectute. 2. Naturæ, juxta quam aliquid in naturali essendi ordine antecedit, quomodo causa prior est causato. Augustinus quidem lib. 3. cont. Max. inter personas divinas, ait, ordinem dari naturæ: Verum illud nō ita accipendum, monente Excell. Dn. D. Calvio, quasi natura filii posterior sit Patris natura, cum sit una & indivisa natura, sed quod in divina natura Pater sit prima persona & Filio prior quā originem, quum Filius per æternam generationem, sit à Patre. 3. ordinis & enumerationis, in qua nihil ferè præter ordinem & enumerationem attenditur. Posuitq; id genus prioritatis ipse Aristoteles lib. 5. Met. c. II. Veluti qui secundus est in chœra, inquit, Prior est eo, qui est tertius. Sic literæ priores syllabis; syllabæ dictionibus; dictiones oratione. Neq; tamen prioritas hæc præcisè à nostra ratione dependet; sed assumitur ex ipsa natura, & valdè generalis est, unde & generale nomen retinuit, ut ordinis prioritas diceretur. Ea a. quæ generalia sunt facilius apprehenduntur sine imperfectione, quam quæ sunt specialia. 4. cognitionis, quæ vel in descendendo; quomodo facilitiora priora sunt difficilioribus quā cognitio.

gnitionem : vel in dicendo ; ita exordium prius narratione in oratione. 5. *Dignitatis*, quæ æstimatur vel pretio, vel in- stituto humano , quomodo aurum prius stanno , & Rex sub- ditis prior dicitur . Plures prioritatis species qui desiderat , adeat B. Jac. Mart. *exerc. Met. Scheibl. lib. I. Met. cap. 26.*

§. 2. Verum hoc primum principii requisitum non- nulli revocant in dubium , statuentes , non esse universale , adeoque neque ad omne principium prioritatem requiri . Hinc concedunt quidem in mysterio S. S. Trinitatis princi- piūm , negant autem prioritatem . Sic Thomas Aquinas *part. I. quest. 42.* licet concedat inter personas divinas ordi- nem originis esse , simpliciter tamen unam altera priorem es- se negat . Ad eundem modum Damascenus *lib. 5. de orth. fid. c. 4.* Capreolus *I. i. sent. d. 29 q. i. aliquę.* At si Meta- physica est disciplina universalissima & generalissima , quid- ni etiam termini hi (principium, prioritas) erunt universalis- simi & generalissimi h. e. ut tam infinitis quam finitis appli- cari possint . Omnidè enim illi ita repræsentandi & defi- niendi sunt , ut abstrahi possint tām à finito quām infinito , tām à creato quām increato , ita quidem ut utrumque exau- riant . *Conf. Clar. Dn. Henr. Nicolai Comp. Met. Lib. I. C.V.* Quod si verò imperfectionem quandam importare videantur , omnino removendi , divinisque minimè applicandi . Jam autem principium & prioritas sunt ejusmodi termini genera- lissimi , qui nullam imperfectionem formaliter important . Quidni itaque in divinis adhibendi ? Semper enim generali- ter sunt sumendi , ita ut abstrahant ab omni dependentia , causalitate , prioritate naturæ , temporis , & dignitatis , adeoq; ut nullam omnino involvant inæqualitatem & superioritatē respectu ejus cuius est principium : sed nudè saltem priorita- tem ordinis , quem vocant ordinem originis seu naturalis enumera- rationis . Atque hoc sensu optimè possunt tolerari . Quæ in contrariam objici solent sententiā , satis discussa sunt apud *Dn. D. Scharf. in Theor. Transc. disþ. X. Dn. Scheibl. lib. I. Met. cap. 21. num. 29, 30 seqq. Dn. D. Christ. Matthiæ disþ. Met. V. disq. 6. ad quos Lectorem remittimus.*

§. 3. Al-

§. 3. Alterum principii requisitum est *consecutio* vel *habitudo ad id quod procedit*. Non enim (verba sunt Excel. Dn. D. Calovi) sufficit ad rationem principii prioritas, cum multa antecedant quadam prioritate, quæ tamen non propriè sunt principia, prout hic principium relativè sumitur. Ita quæ prius numerantur vel locantur, vel producta sunt & existunt, non statim sunt principia ratione aliorum, sed necesse est, ut interveniat habitudo censucionis ac processionis, sic sexagenarius quinquagenario prior, nec tamen principium hujus. Vanus ergo est Goslavius cap. 10. ref. Keck. quando afferit: *quicquid se prius habet aliquid, principio non caret.* Cum à prioritate ad principii rationem non valeat consequentia, propterea quod multa aliis dentur priora, quæ tamen ob id non sint eorum principia, eo quod deficiat ratio consecucionis vel processionis, prout ex jam laudato Authorē dictum. *Conf. B. Kesleri. Met. phot. part. gen. sect. 3. princ. 24.*

THESES IV.

Principium aliud est sine dependentia & principiati illatione : aliud cum dependentia & principiati illatione.

§. 1. Non enim putandum ac si omne principium inferat dependentiam principiati. Siquidem terminus hic latissimè patet & de se non importat nisi consecucionem, seu emanationem alterius, sive eam emanationem comitetur dependentia propriè sic dicta, sive non. Unde sequitur principia sine illatione principiati saltim δεύτερως ita dici ac per analogiam. Adest enim ibi tantum aliquis ordo. Sumuntur autem hæc Principia secundum nonnullos vel excellenter vel populariter. *Ilo modo* Deus Pater salutatur principium Filii, & Filius una cum Patre Spiritus S. Hæc Aristotelici faciunt triplicia ut 1. alia sint ex instituto hominum ; quo sensu principium orationis dicitur exordium 2. alia ex ordine naturæ, quo pacto aurora est principium diei, ver principium anni 3. alia ex habitudine intinseca ; sicut privatio est Principium generationis.

tionis. Sed fruſtra producunt τέρχοντις, ubi ſufficit δι-
χοτομία. Privatio enim ſi eſſet principium generationis, u-
tiq; ordine naturæ eſſet. Deinde nec opus eſt privationem
pro peculiari ſpecie agnoscere, cum illam hactenus ſolidiſſi-
mis argumentis nondum demonstrarint. Aſt hanc contro-
verſam Phyſicis relinquemus. Conf. Praclar. Dn. Sperling.
Inst. Phys. lib. i. quæſt. i. & 2. ejusdemq; diſſert. de princ. corp. nat.

§. 2. Principium verò quod infert dependentiam & princi-
piatum περὶ τῶς & abſolutè dicitur principium. Hoc autem
dividitur in principium eſſendi & cognoscendi. Illud eſt quod
dat eſſe alteri, ſive per productionem, ſive per conſtitutionem,
ſive per conſervationem. Hoc eſt quod facit ad rerum percep-
tionem, dum ex eo tanquam per ſe noto minus notum elu-
cescit. De hac divisione quæritur: *an ſit legitima?* Mu-
lti eam in dubium revocant, partim quod membra illius inter
ſe non diſſentiant, cum principium eſſendi, ſit etiam interdū
principiū cognoscendi, partim quoq; quod nō ſit adæquata
fuo diſiſo, cum diſittat principia fiendi & conſervandi, qvæ
tamen neque poſſint referti ad conſtitutionem, neq; ad co-
gnitionem. Verum pro decisione notandum i. Principium
eſſendi hic non ſum iſpecialiter, quatenus principio fiendi &
conſervandi opponitur, quomodo eſſendi principia ſunt, ex
quibus aliquid intrinſecè conſtat; fiendi à quibus aliquid
ſit; conſervandi à quibus aliquid in eſſe conſervatur: Sed
generaliter id dicitur hic principium eſſendi, quod dat eſſe al-
teri, ſive τῷ eſſe det originem per generationem, creationem
vel alio modo, ſive intrinſecè illud conſtituat, ſive conſervet.
Conf. Dn. Scheibl. lib. i. Met. cap. XXI. n 58. Revii Svaretz. repurg.
diſp. Met. Sect. i. 2. obſervandum quoque ex Clar. Dn. Sthalii
Comp. Met. c. 2. p. 22. Principia cognoscendi abſolutè ſumpta
ſub ſe comprehendere principia eſſendi, quia per quod res in eſſe
eſtſtituitur per id etiā cognoscitur: ſumpta verè exclusivè à prin-
cipiis eſſendi diſtingui, cum tantū principia cognoscendi ſint,
& non etiam eſſendi, vid. Timpl. lib. 3. Met. c. i. q. 3. Plures prin-
cipia cognoscendi, vid. Timpl. lib. 3. Met. c. i. q. 3. Plures prin-

vii di-

p*ii* divisiones vid. apud Pl. Rev. Dn. D. Scharf. in Theor. Transc. C.L. & in exempl. Met. lib. 7. Cap. V. Dn. Prückn. in Comp. Met. gen. part. c. VI.

THEISIS V.

Principiatum est, quod ab alio procedit
quocunque modo.

§. 1. Data descriptio ut ritè ac rectè intelligatur, tūm circa definitum, tūm circa definitionem ipsam observanda nonnulla sese offerunt. Circa definitum notetur vocabuli *bujus usuratio*: anne rectius principiatum, an id cuius est principium loco definiti adhibeatue. Multi termino principiati utuntur ad potissimum analogatum respicientes. Alii ut Fonseca s. Met. c. i. Scheibl. lib. I. Met. cap. 21. n. 4. Dn. D. Calovius Met. Div. putant commodiorem esse circumlocutionem, qua dicitur id cuius est principium, quam simplicem vocem principiati; propterea quod non omni principio respondeat principiatum; cum illa vox juxta illos tantum in rebus creatis habeat locum, in divinis verò minus accuratè. Hinc urgunt Symbolum Nicenum Filium Dei non principiatum, sed principium de principio vocare: laudantq; Lombardi lib. 2. sent. dist. 29. dictum Patrem principium sine principio: Filium principium de principio: Spiritum S. principium de utroque h. e. de Parre & Filio nominantis. Alij contra existimant vocem principiati ab omni imperfectione posse liberari. Verum, quid hic sit statuendum per pacem ac veniam aliorum nihil jam definimus, modestè nostrum suspendentes judicium.

§. 2. In descriptione ipsa eodem modo ut antea in principii descriptione habemus tum *materiale*, quod hic idem cum principio: tum *formale* quod diversum. Unde quemadmodum superius principium inferebat processionem alterius: Ita principiatum hic notat itidem processionem, verum ab alio. Reliqua ex superioribus clara esse poterunt.

20-

I. Principia complexa propriè & directè
non pertinent ad forum Metaphysicum.

Dic *propriè ac directè*. Quamvis enim illis exercitè ac applicatè Metaphysicus utatur, eliciendo conclusiones de attributis universalissimis; nihilominus tamen *propriè ac signatè* illa ad nobilissimum illum *Noologias seu Intelligentiae habitum* spectant. Hunc autem habitum distinctè ac peculiariter in Philosophia dari, partim ex natura distincti objecti liberaliter scibilis, partim distincto considerandi modo, partim distincto ejus à reliquis disciplinis fine patet. Conf. Dn. Gutz. hab. Intell.

II. Dantur principia nobiscum nata.

Licet enim ea communiter negent; tamen id sit contra Scripturam, contra rationem, contra experientiam, prout id deducunt Plur. Rev. ac Excell. Dn. D. Clotzius in præf. Pneum. Pracl. Dn. Sperling in Anthropol. Phys. c. III. Clar. Dn. Henr. Nicolai in Peculiari tract. de notitiis naturalibus, qui videantur.

III. Negantem principia debemus corriger & informare.

Sc. negantem principia *specialia & particularia*. Non enim protinus deferendus est talis, sed adhuc cum illo disputandum; si non ex illa disciplina cujus sunt principia: attamen ex superiori disciplina. Quod si verò neget principia cognoscendi eaq; prima, communissima, certissima & in sensu incurrentia contra cum minimè disputandum.

IV. De ignotis principiis accuratè disse-
rere non possumus.

Hoc sèpè fieri vel quotidiè animadvertisimus. At funda-
mental is illa dissertatio nunquam: propterea etiam ut ædifi-
cium absq; fundamento facile corruit. Hinc multi- principia in re non fundata ex cerebro suo excogitant, omnesq; ho-
mines ex suo ingenio æstimant.

V. Neu-

V. Non omne quod prius est altero, est ejusdem principium.

Non enim requiritur tantum ad principii rationem esse prius; sed quoq; quam maximè *consecutio unius ab altero* & *habitudo*; Sic Petrus qui h̄eti natus est, prior est Paulo qui hodie nascitur. nec tamen hujus est principium. Cadit ergo universale pronuntiatum *Goslavii* contra SS. Trinitat̄ in illud quando adhibet.

VI. Non omne principium infert dependentiam principiati.

Siquidē non de formal i ratione p̄tincipii est nō inferre dependentiam p̄ticipiati secus atq; putant Alstedius ac Maccovius; sed qvatenus prescindit tum à dependentia, tum ab independentia. Hinc & principia illa quæ non inferunt dependentiam, per analogiam principia dicuntur; minimè autem impropriè: Cum adhuc de generali principii descriptione participant, licet αναλογως.

VII. Principiatum non potest esse principiū.

Illud enim ab hoc est. Ideoq; in eadem scientia principium esse nequit, in qua principiatum est. Hinc quodam modo patere potest, quam malè illi faciant, qui consensum vel Patrum vel Ecclesiæ pro principio venditare allaborant. Siquidem consensus ille non principium, sed potius principiatum, quum à principio eeu scriptura sit, dicendus est.

Adiectanea

1. Extra naturam in naturalibus sapere, est temerariò speculationibus indulgere: in natura patefacta immediate ad Deum referre est præ inscitia librum à DEO apertum claudere.

2. Metaphysica est abstracta ab omnibus, non concreta in omnibus, nec conflata ex omnibus: Considerat omnia in universaliter, non universaliter omnia: Est sapientia entis

entis, non entium : occupatur circa ens quæ ens, non circa omne ens : tractat ens non ad unam speciem arctatum, sed prout præcimum est & indifferens.

3. Non præcisè omnis imago visibilis esse tenetur.

4. Inaccurata est definitio : Homo est animal, terrestre, pedestre, bipes.

5. Quoniam non tantum artis objectum semper reale est, opusq; ejus semper externum, & in sensu incurrens ; sed & ejus finis semper principalis ob se ac sui gratia : Idcirco persuaderi nullo modo possumus ut Logicam per artem propriè definiamus. Luciani autem vulgatam artis definitiōnem inaccuratam esse, velinde satis liquet, quod juxta illam omnes disciplinæ artes dici possint.

Tibi Deus Autor omnis principiū ac finis gloria !

AMICE, quænam vis sit ingenii tui
Acris, probasti doctioribus satis,
Et disputatione doctâ hac comprobas.
Ego gratulor Tibi, Tuisq; de tuis
Donis, DEUS quæ gratiōsè dat Tibi.
Sic gaudium Natus suo creat PATRI.
Sic quem PATRIA poscat, PATER Natum nutrit.

Quodominabatur

Constantinus Ziegra/ SS. Theol. Licent.
& Colleg. Phil. Adj.

GOtt gebe daß dir ich der ANFANG wol gelinge/
Dß ist die höchste Kunst den ANFANG aller dinge
Zu wissen in der Welt.
Du hast wol angefangen;
Du wirst das End' erlangen/
Das du dir vorgestellt.
bis wenige seket seinem hochge-
liebten Oheimb
GEORG THOMÆUS, aus Holstein.

05 A 785

ULB Halle
003 766 551

3



KOT

19

DISPUTATIONUM METAPHYSICARUM
SEPTIMA
DE
PRINCIPIO & PRINCIPIATO

*Quæ
DIVINA ASPIRANTE GRATIA*

PRÆSIDE

VIR O

CLARISSIMO ATQUE PEREXIMIO

Dn. M. CHRISTIANO BILEFELD

Lubec: Amplissimæ Facultatis Philosophicæ Adjuncto
meritisimo, Fautore ac Promotore suo æternum
Venerando,

Publicè ventilanda proponitur

CHRISTIANO NIFANIO, DITHMARSO

AUTHORE

In Auditorio Minoris

Ad d. Februari. Horis ab 8. Matutinis. 1. pomerid.

WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS HAKEN, ANNO MDC LII.

20

